



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Chrysanthvs && S. Daria MM. 25. Octobr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

S. CHRYSANTHVS & S. DARIA MM.

25. Octobr.

*Fidelis Deus est, qui non patietur
vos tentari supra id, quod potestis,
sed faciet etiam cum temptatione
proventum, ut possitis sustinere.*

i. Cor. 10.

Chrysanthus patre natus Polemio senato-
rii Ordinis viro, dum fortuitò in manus
sumit, quem Evangelii librum dicimus, legit-
que, manus dare Christo discit, brevi lectio-
ne longè plurimum edoctus. At Polemius, ut
filium à Christiana disciplina dimoveret, ni-
hil non movere, carcerique demum mancipa-
re. Sed hic Gymnasii instar virtutierat. Ergo
ad insidias amicorum consilio versus cubicu-
lum adornat & omnibus delitiis instruit; ad-
dit mulierculas omni mundo muliebri præter
verecundiam superbas. Inter has collocatus
Chrysanthus tunc demum in carcere esse se
credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum
nempe (oculum clausum) objecit. Sed & Cæ-
lum

lum somno lenarum oculos obruit, tam pro
fundo, ut castitati facile esset dormientium
manus evadere. At ecce novum duellum.
Dariæ Virgini & formâ & literis cultissima
committitur. Pergit tamen ille Victoriis Vi-
ctorias accumulare & sponsum expetenti pro-
mittit hunc, sed Christum. In has leges & pa-
& nuptiæ promittuntur, quæ ut festiviore ap-
paratu fierent, plurimos ille Iuvenes, plu-
rimas illa Virgines ad castitatis amorem
traxit. Enim vero hic demum furere Ve-
nus & vinci toties tela sua indignata, Ty-
rannum animare, jamque Chrysanthum in
carceres, Dariam in lustrum trahere. Sed il-
lum contra tormenta lux cælo allapsa, istam
contra lenones leo defendit. Ultimò vivi terrâ
obruti castissimi Conjuges, primum thalamū,
tumulum habuerunt. At olim degener Ro-
ma non castitatem sed impudicitiam sic tu-
mulabas. *Ex Metaph.*

M E D I T A T I O.

De causis temptationum nostrarum.

I. Chrysanthus & Daria, (ille inter mulierculas
lenas, hæc inter Leones, Lenones) tentati &
digni Deo inventi sunt. Sed Chrysantho pro clypeo
fuit custodia oculorum, Dariæ fortitudo Leonis pro-
pugnaculum. Quæ causæ sunt temptationum nostra-
rum? sæpe quia sensus non custodimus, occasiones

tam pro non evitamus, ordinatè non vivimus, aut molliter nientium mis creaturis adhæremus, aut quiasatis non occupamur. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illektus.* Jac. I. v. 14.

2. Est & Dæmon sæpè causa temptationum nostrorum, ipse enim odit imaginem Dei, ipse invidet homini & socium quærerit damnationis suæ, ipse arrogat dominium cordis tui, & adorari in templo Dei ? ipse peccato tuo intendit crucifigere Jesum Christum. & renovare ignominias ejus. Ergone tu obsecundabis desideriis ejus temptationi consentiendo ? O Deus libera me aut saltem robora me, *tentavit satanas cor meum.*

3. Deus permittit temptationes propter gloriam suam & majus tuum bonum vult explorare amorem tuum, Vult te in debita subjectione continere. Vult te obligare ad opem suam efflagitandam, vult tibi occasionem præbere beatitudinem promerendi. Tentat vos Dominus Deus vester, *ut palam fiat, utrum diligitis eum, an non.* Deut. 13.

S. F U L C O Confessor.

26. Octobr.

Cum feceritis omnia, qua præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Christus Luc. 17.

Qui